

IN N O M I N E J E S U !

DISSERTATIO THEOLOGICA,

D E

V

A C T I B U S S Y N -
C R E T I S M I Æ G Y P T O -
I S R A E L I T I C I ; N E C N O N
D E I S R A E L I T I C O - S I D O N I O .

Q U A M

D E I O. M. Auxilio.

In Regiâ Academiâ Aboënsi,

Cum consensu Reverenda Facultatis Theologicae

P R Ä S I D E

E N E V A L D O S V E N O N . Q. G. A.

S S. Theol. Doct. Prof. Prim. & Pastore Urbis: nec non
h. t. Reg. Alumnorum Inspectore:

D E F E N D E N D A M E L E G I T

P E T R U S Hahn/ Wex. Smoland.

I n Audit. Max. ad diem 26. Maij. A. X E S T O V O R I A C
M. D C. LXXIV.

A B O Æ ,

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typog.

Reverendissimo & Amplissimo DOMINO,

DN. M. JOHANNI BAA-

ZIO, Diœcesis Wexionensis Episcopo longè gravissimo, Synedrij ibidem Ecclesiastici Præsidi, ut & in his meso & Regnebȝ Pastori dignissimo, Mecœnati & Patrono magno, quovis obsequio & devoto pietatis Cultu, æatem prosequendo suspicioq;.

UT ET

Admodum Reverendus & præclarissimus, Clarissimus,
pariterq; Humanissimus DOMINIS:

DN. M. JONÆ ZE-

PHYRINO, Cathedrali Wexion. Pastori & Archipræposito meritissimo, Conistorij ibidem Ecclesiastici Seniori, Patri & Patrono maximè venerando..

DN. M. ISRAELI KRO-

KIO, in Gymnasio Wex. Theologiae Lectori dexterrimo, Conistorij ibidem Ecclesiastici Adfessori, promotori meo summo perè colendo.

DN. LAURENTIO RIM-
MIO, Pastori in Elmehoda vigilantissimo, Fautori & benefactori multùm honorando.

DN. M. CANUTO

Hahn/ antehac Academiæ CAROLINÆ, quæ Londini Scanorum est, Log: & Metaph: Professori Præcellētissimo; nunc verò Pastori & præposito in Rummabȝ vigilantissimo, Promotori & Fautori, summâ reverentiâ prosequendo.

DN. M. PETRO PLATI-

NO, in Gymnasio Wex. Græcæ lingvæ lectori solertissimo, ut olim præceptorí, ita nunc promotori propensissimo.

DN. MARCO HEMMIN-

GIO, Cathedrali Wex: Comministro fidelissimo, Fautori & benefactori honoratissimo.

Hanc disputationem Theologicam de-
potissimus Consecro

PETRUS Hahn,

Seqvuntur Syncretismi Ægypto-Israëlitici Actus, eorumq; effectus.

DISP. V.
RESP.
PETRO HAHN/
Wex. Smol.

I.

PRURITUS populi. De quo Moses v. 1. ait: *Videns autem populus quod moram faceret Moses descendendo de Monte, congregatus est aduersus Aronem, dixeruntq; ei, Surge, fac nobis Deos, qui præcedant nos: Moïs enim Viro isti, qui eduxit nos de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Quemadmodum igitur Occasione diuturnioris absentiae Mosis, indomitus populus confirmatus licentiâ invadit Aronem, instando ut cultum Dei publicum instituat: Ita multi hodiè impatientes suorum ministrorum moræ in simplici sermonis genere & vulgari concionandi stadio, adeunt alios, qui vel imitari vel sibi commendare eloquentem Jesuitam possunt, qualis Cardinalis Robertus Bellarminus olim erat, aut aliquem subtiliter differentem Bezam: pruriunt enim aures, quibus vulgaris illa & quotidiana simplicitas fordanet. Conf. 2. Tim. 4: 3. 4.

I I. Projectus Aronis. De quo Moses v. 2. ait: *Dixitq; eis Aaron, abrumpte inauras aureas, qua sunt in auribus uxorum vestrarum, filiorum vestrorum & filiarum vestrarum, & adferete ad me.* Nullo verbo contradicit huic postulato populi Aaron, sed statim exoratur, neq; saltè per aliquot dies populum detinet, donec Moses reverteretur, sed oblitus præsentia Dei veri in columnâ nubis & ignis, dantis Manna de Cœlo, loquensis de Monte Sina, sistentis aquas in mari rubro &c. consilium dat Symbolicæ collationis inaurium ad se deferendæ. Hujusmodi Projectum vidimus etiam hoc seculo Spiræ Nu-

730 DE SYNCRETISMO AEGYPTO-ISRAELIT.
metum factum in Germaniâ 15. Oct. A. 1660. In quo de universalis Synodo cogendâ & constituendâ unione mysticâ Catholicorum & Evangelicorum agitur, certæ præscribuntur LL. ac conditiones pueriles, de quibus alibi.

III. Applausus Populi. De quo Moses v. 3. ait: *Ab rupitq; à se universus populus in aures aureas, quae erant in auribus eorum, attuleruntq; ad Aronem.* Promptitudo hæc populi in conferendis monilibus, partim è Satanæ suggestionibus est, partim ex innata hominum propensione ad superstitiones cultus & modos colendi Deum à se inventos. Sic hodiè ad Projectum Spirensium Syncretisticum illum, apportant suffragia superiores & inferiores, imò tantum non abjectissimi quiq;. Sequitur vitulus Dux.

IV. a. οδαγωγὸς delineatus. De quo Moses ait v. 4. *Quod lē manibus eorum acceptum formavit Stylo.* Selenus Synt. i. de Diis Syr. cap. 4. pag. 138. talem de hoc actu censuram fert: Erat Apis non coitu pecoris, ita nugabatur, sed cœlesti igne seu radiis lunaribus conceptus, hoc est, quod ait Plutarchus: ὅτι φῶς ἐρείση γόνημον, ἀπὸ τῆς σελήνης καὶ καθάψυχη βός ὁ γεγώνεις colore nigro, quadrato in fronte candore, macula dextero lateri ingenita & corniculantis Lunæ imaginem referente conspiciendus. Perpendant, qui Apim in vitulo intelligunt, utrum Aron aliquid horum γνωστούτων stylo suo formaverit. Et formavit aurum cum stylo, ait Mose, nimirum Jatzar Bachereth, id est, graphio figuravit, sive ut habent LXX. ἐπλασεν εἰς τὴν γραφήν. Idolum fuisse constatile constat, nec facilè intelligas quid stylo fecerit, nisi notas Apidis aut ejusmodi quid sculpsit.

V. β. οδαγωγὸς elaboratus, v. eod. Fecitq; ex eo vitulino constatilem. Aroni erat demandata cura Religionis, quam ipse, ut hodie multi, facilitate, timideitate & humanâ quādam

DE SYNCRETISMO AEGYPTO-ISRAELITICO. 731
dam sapientia prostituit, secutus morem Aegyptiorum, qui
in regia urbe *Memphi* colebant *Apin*, i. e. bovem, quippe
qui in sacrificiis Deo offerri solitus est, ejusque matrem *Anubin*.

V I. γ. ὁδαγῷ proclamatus. v. eod. 4. & 21. Et di-
xerunt: *Hi sunt Dii tui, Israël, qui adduxerunt te de terrā Aegypti.*
Jam solemnis & publica mixta Religionis promulgatio facta
est per universa castra Isaelitarum: sicut fieri hodie solet,
dum secreta Irenicorum consilia effectui mandantur & pu-
blicantur.

V II. δ. ὁδαγῷ honoratus, Fastus autem est hic
actus conspicuus 1. Aedificatione altaris. 2. Oblatione holo-
caustorum. 3. Lusu. 4. Cantu. 5. Tripudio. 6. Adoratione.
v. 5. 6. 8. 18. 19. Quos enim videmus adhuc majori affici pro-
motione, reverentiā & salariis, quam ejusmodi aleatores,
qui religionem vendunt, bona Ecclesiae ludendo ad se per-
trahunt, & saltando dispergunt: Nemo autem dicere his
audet: Papa quid agis?

V III. ε. ὁδαγῷ dehonestatus. v. 20. Arreptumq;
vitulum quem fecerant, exussit igni, & contrivit donec in pulve-
rem comminueretur; quem sparsit in aquam & dedit filiis Israël bi-
bendum. Singulari artificio aurum potabile fecit Aron, Uns-
de Bibl. Winar. Dieses alles thet Moses aus göttlichent
eiver und eingeben / zu Hohn und Spott des newen ab-
göttischen Bildes / welches durch seine eigene Diener sollte
verzehret werden / und durch den Stuhlgang wechgehen /
so wol auch / das Gedechniss desselben gänzlich zuvertil-
gen / und die Israeliten zu erinnern / das sie den göttlichen
Fluch/durch diese ihre schändliche Abgötteren wie Wasser
in sich gesoffen / Psal. 109: 18.

V IX. ζ. ὁδαγῷ à Deo Vindicatus. v. 9. 10. 14. 25. seqq.
Et ceciderunt de populo die illa circiter 3000. hominum, &c.

VI. Israëlitico-Sidonius.

§. 1.

AChabicam Idololatriam à Jeroboamicā eo nomine discripare censet *B. Dn. D. Danhauerus in Mysterio suo §. 4. p. 10.* quod illa symbolo externo non Deum verum, sed solem, aliudve Dei officium coluerit. Ubi non negat Magnus iste Theologus, Achabum Regē Israëlis, terminasse suum cultum ad verum Deum, licet idololatriā majori, quia mox Sidonia sacra eundem cum hebræis composuisse concedit, & textus ipse haud obscurè indicat: extat enim mentio religionis ipsius i. Reg. 16:31. 32. 33. Nec sufficit ei, ut ambularet in peccatis Jeroboam filij Nebat: insuper duxit uxorem Jezabel filiam Ethbaal Regis Sidoniorum: & abuit & servivit Baal, & adoravit eum. Et pesuit aram in templo Baal, quod edificaverat in Samariā, & planasavit lucum. Et addidit Achab in opere suo, irritans Dominum Deum Israël super omnes Reges Israël, qui fuerunt ante eum.

§. 2. Assertionis hujus rationes duæ sunt palmariae, 1. Ambulando in peccatis Jeroboam, manifesta stabilitur μοσχολατρεία Danobethelica. 2. Quamvis Idololatriæ species sit duplex, altera quā verus quidem Deus colitur, sed modo indebito, quem ipse condemnavit; altera qua divinus honor exhibetur creaturæ, atq; ita colitur Deus falsus, & est species peccati gravioris, ut annotavit in cit. l. *B. Dn. D. Quistorpius* pag. 310. Unde 2. Reg. 10:29. Jehu dicitur, qui destruxit cultum Baalis, non recessisse à peccatis Jeroboami, & tamen eodem loco significatur, quod Jehovah sibi proposuerit colendum, & eundem solum sc. respectivè coli voluerit v.23: 30. Diciturq; Deus adeò acceptum habuisse factum Jehu, ut permiserit posteros ejus ad quartam usq; generationem

DE SYNCRETISMO ISRAELITICO-SIDONIO. 733.
tionem regnatos; gratum nimirum Deo fuit, quod Baalis,
cultum sustulit. Liquet hinc factum Jehu in vitulo Deum
coletis levius esse peccatum facto Achab, qui falsum planè
Deum coluit, κατα π.

S. 3. Attamen etiam colendo Baalim Israëliæ ve-
rum Deum creatorem cœli & terræ non planè exclude-
bant. Nam γνωστὸν οὐθεὶς τοις αὐτοῖς Φανερόν εἴη Rom. 2:18 sc.
οὐθεὶς ἀληθινῶς λεγομένως; licet multi scintillas naturales ex-
tingvunt, dicentes in corde suo: Non est Deus. Psal. 14. Af-
fertio probatur ex Osee 2:16. 17. Et erit in die illa, ait Iehovah,
vocabit me: Vir meus, εἰς non vocabit M E ultra BAAL meus: au-
feram enim nomina Baalim de ore ejus, εἰς non recordabitur ultra no-
minis eorum i. e. populus meus, non amplius impios cultus se-
stabitur, sed sincerè me colet. Hinc constat, quod populus
Israëliticus cultum Baaliticum in gratiam veri Dei institue-
rit, Conf. B. Chemnitium in h.l. Nomen Baal, Bel εὶς Belus quia
Dominum significat licet conjicerem, quod Europæis Zeūs vel
jupiter est dictus, eum Assyriis & Phœnicibus esse Baale vel Be-
lum appellatum, quippè qui Judice Augustino Quæst. 16. in
lib. Jud. primus Idololatriæ fores aperuit, & cui Rex Achab
in favorem Ithobalis Regis Tyro-Sidoniorum Samariæ Tem-
plum dedicavit, teste Josepho Antiq. Jud. lib. IX. c. 6. ex c.
I. Reg. 16. & I. Reg. 10. Sic igitur Bel & Baal, cujus sacerdotes
Elias ē medio sustulit I. Reg. 18. unus idemq; fuerat. Simu-
lachrum ejus etiam venerabantur Babylone, quod à Cyro
Rege & Daniele Prophetâ, ob fraudes sacerdotum, qui ei-
bos Deo appositos templum noctu per cuticulos ingressi ab-
sumere consueverant, destructum legitur Esa. 46:1. Suplem.
Dan. v. 21. Vide sis notas Jun. & Tremell. Rainold. prælect.
Selden. de Diis Syr.

S. 4. Ideoq; insuper alio respectu Achab, in textu dicitur irri-

tasse Dn. Deum Israël super omnes Reges, qui fuere ante eum, E. G. Filium suum obtulit huic Idole in holocaustum, quæ Idololatria erat extremè horribilis. Adscribam igitur ἔποιπων Idololatriæ Achabicae ex B. Dn. D. Chytræi comment. in lib. Jud. c. 2. pag. 122. Quæ huic assertioni fidem haud faciet vulgarem.

§. 5. Verba singularem Emphasim resonantia sunt ibidem sequentia: significat autem Baal Dominum, maritum, patronum: est propriè Epitheton veri Dei, qui solus est supremus Dominus, Magister & maritus, cui fide desponsati sumus: at hanc gloriam & cultus veri Dñi gentes tribuerunt Idolis seu statuis: fuitq; Baal, Idoli Babylonij, Moabitici, Samaritani nomen. Quod h̄is ritibus & ceremoniis coluerunt. Extruxerunt ipsi Excelsa seu aras, Num. 22. Jer. 19. & domos seu templa, 1. Reg. 18. Fabricarunt ei statuas 2. Reg. 8. 10. Erigerunt altaria, fecerunt lucos 2. Reg. 21: 25. coluerunt ipsum genu flexione & osculatione, 1. Reg. 16: 19. Suffit⁹ Jer. 7. & 23. Incenso 2. Reg. 23. Festis & solennitatibus 2. Reg. 10. peculiaribus prophetis & sacerdotibus 1. Reg. 18. 2. Paral. 23. Adorarunt invocatione, Baal exaudiendi nos 1. Reg. 18. Coluerunt ornatu argenti, auri & monilium, Ose. 2. Sacrificijs, victimis & holocaustis 2. Reg. 10. Immolatione Liberorum Jer. 19. Hac quantulum à cultu sanctorum in papatu differant, cordati considerent, Scribunt autem primam originem nominis Baal, & omnium Idolorum seu statuarum in mundo extitisse à Nino, qui Beli patris imaginem in domo collocavit, & ad eam confugientibus venians dedit. Inde nomina Bel & Baal extitisse. Hieron. Comment. in Ose 10: 2. refert. Et porro pag. 123: 124. Etsi autem nulli idololatrica videri volunt ita insanire, ut statuas argenteas vel lapideas, veros Deos esse statuant, sed Unum, Verum Deum Conditorem cœli & terra se colere & honorare prætendunt, ut Israëlite Exod. 32. instituta aurei vituli Idololatria, proclamat: Cras Solennitas Jehovah est: & omnes ethnici saniores, unum esse summam & aeternum Deum

Deum confessi sunt, quicum sit mens infinita pro varietate beneficiorum, qua nobis importit, rominandum & colendum esse senserunt, Jovem quia servat impia: Martem, quia dat victoriam in bellis: Palladem, quae donat sapientiam: Neptunum, juvantem in mari: Cœrarem, facundantem agros &c. Sed quia non colunt Deum sicut se in suo verbo coli præcepit, & ad statuas Baalim, Astaroth, alligant Deum, ad quas se non alligavit suo verbo: Deus horribilitè eos cultus aversatur & rejicit: eosq; non sibi, sed dæmoniis seu diabolis hostibus Dei damnatio exhiberi affirmat, i. Cor. 10. Quæ sacrificant gentes, dæmoniis sacrificant, non Deo. Et Moses de Iudaïa inquit Idolatri: Immolarunt dæmoniis & non Deo. Et passim in Prophetis, ac præsenti & secundo Iudicum capite, fornicationi seu adulterio Idolatria confertur: Ut enim maritus & uxor mutuo amore & fide inter se copulati & devincti sunt: quam violans mulier & alii se prostituens, gravissimè offendit maritum Zelotem, & justè ab eo repudiatur, & pænis etiam gravissimus plectitur: sic populus Israël & totum genus humanum, Deo tanguam marito, simili facere copulatum & junctum esse debebat, ut unum solum verum Deum agnosceret, invocaret, amaret & coleret, sicut se in suo verbo coli præcepit: nec alienos Deos aut cultus sine verbo Dei electos, sed unius sponsi sui vocem solam audirent & sequerentur. Cum igitur desciscit à fide sibi Deo debitâ, & amorem ac cultus sibi Deo debitos, tribuit Idolis: vel alienam doctrinam & non cultus mandatos verbo Dei, sequitur: justè à Domino Deo nostro forti zelote repudiatur, & præsentibus ac æternis oppressa pænis abjecitur. Ad hanc Adulterij seu fornicationem imaginem, Ezech. 16: 23. Jer. 2: 3. Ose. 1: 2. Imò etiam in primo præceptio Decalogi alluditur: Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, visitans iniquitatem. Sicut de Idolatria in genere, Exod. 32. Jer. 2: 3. Et deinceps. Baruch. 6. Ezech. 16: 20. Esa. 1: 2. 40. 43. Sap. 13: 14. 15. dicitur. que omnium eruditissima doctrina de Idolatria enarrationes sunt. Conf. Hist. Eccl. B. Da. D. Micræl. Part. I. de variis spec. Deast. p. 311.

§. 6. Ab hâc Syncretismi specie non planè alienus erat Rex Salomon licet gradu remissiore: Significatur enim i. Reg. ii. 3. quod averterint mulieres cor ejus, ita scil. ut iam non amplius soli vero Deo cultum suum conservaret, sed in gratiam uxorū, quas habuit plurimas, videlicet 700. & concubinas 300. Gentilia & impia sacra in Regno suo admitteret; ut seqq; verisiculis exponitur copiose.

§. 7. Excusare autem Salomonem studiosè laborat D. Augustinus Lib. 14. de Civ Dei, c. ii. Non credendum est, inquit, Salomonem putasse Idolis serviendum: sed blanditiis famineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum. Posito, non concesso, quod èdolatria luxurias insens fuerit; multipliciter tamen peccavit, ducendo Idololatricas uxores, Moabitidas, Ammonitidas, Idumæas, Sidonias & Hethæas contra expressum Dei mandatum v. 2. & 3. extat enim v. 4. quod quem jam senio confectus esset Salomon, inclinatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos, nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus: nam abiit Salomon post Ahaboreth Deum Sideriorum & Milcom abominationem Ammoniarum. Designavitq; Salomon quod disciplinavit Dominum, nec perfectè secutus est Dominum, quemadmodum pater ejus David. Adhuc, edificavit Salomon excelsum ipsi Chamos, abominationi Moab, in monte qui est è regione Ierusalem, & Molech, abominationi filiorum Ammon &c. v. 9. iratus E. est Dominus Salomoni &c. v. 11. Dixitq; Dominus Salomoni, quia non custodivisti pactum meum, scindam Regnum tuum, & dabo illud servo tuo. Quod & evenisse miseranda catastrophe docuit i. Reg. 12. 15.

§. 8. Verisimile tamen est, revocatum eum à Domino tandem fuisse ad poenitentiā. Cum u. Deo dicatur quod dormivit cum patribus suis, ut ait in h.l. B. Dn. D. Hieronymus Wellerus. β. Citetur etiam à Christo pari autoritate cum Jonā Prophetā Matth. 12. γ. Autor extiterit librorum nonnullorum
Canoni-

DE SYNCRETISMO ISRAELITICO-SIDONIO. 77
Canonicorum, &c. Non fuerit persecutor veritatis coelestis, ut
impius ille R. Achab, qui summa Atheismi dementia ab Eliā ad
orcum damnatae inauditas Deo pœnas dedit juxta vaticinium
Prophetar. 1. Reg. 21: 21. seqq. Ecce iudicam super te malum, dicit
Dominus, & demetam posterioratua, ac interficiam de Achab mingens-
tem ad parietem &c. porrò: Dabo domum tuam sicut domum Jero-
boam filij Nebatō, quin prædovasti me ad iracundiam & peccare fecisti
Israēl. Sed & de Isobel locutus est Dominus: Canes comedent Isobel
&c. Hæc omnia veritas historiæ fato horribili demonstrat:
postquam enim id infortunij vidisset Achab, quod 70. ejus filios
atq; nepotes, omnesq; sacerdotes Baal, interfecisset simulatq;
templum ei sacrum destruxisset reformato Religionis Iehu
2. Reg. 10: 1. seqq. tandem in acie contra Syros pugnantem
spreto consilio Michæ viri Dei, hostes percutiunt & sagittâ
trajiciunt. Et linixerunt canes sanguinem ejus &c. Aspersusq; est pa-
riter sanguine Isobel paries, & conculcarunt eam unguila equina in
porta Jesreel, juxta verbum Domini, 1. Reg. 22: 34. seqq. 2. Reg.
9: 8. seqq.

§. 9. In Mediis hisce horrendæ Idololatriæ ac interpo-
latæ Religionis tenebris, fulgurantibus divinae bonitatis
radiis, maximè illustres doctrinæ Evangelii patefactiones
a Mose usq; ad Prophetas non defuerunt. Et quidem parenti-
bus Mosis fidei testimonium in Messiam perhibet Apostolus
Heb. ii: 23. Affirmatq; Mosen v. seqq: Messiaæ opprobrium præ-
tulisse pretiosissimis Ægypti thesauris. Quinimò, publi-
co Mosis Ministerio Ecclesiastico, de politico nunc non ve-
nit in mentem, quamvis ordinariè fuerat legale; vox tamen
Evangelii subinde sonuit, crebrò iterabatur & finaliter Chri-
stum monstrabat Joh. 5: 46. de me, ait Salvator, Moses scripsit.

§. 10. Leges etiam ceremoniales umbræ ac typi Messiaæ

& Novi Testamenti extitere, Heb. 9:9, c. 10:1. seqq. Pascha ipsum fide factum assentitur c. 11: 28. 1. Cor. 5: 7. In specie autem figuræ Messiae in N. Test. allegantur ex Exod. c. 25: 17. nempè Propitiatorius Rom. 3: 25. Heb. 5: 5. seqq. Totum cultum Leviticum ex Levitico tractat Epistola ad Hebreos. Ex Num. c. 21: 9. de exaltato æneo serpente applicativè ad Christum differit Evangelista Joh. 3: 14. De lege Morali ait Paulus 2. Cor. 3: 14. Rom. 10: 4. quod finis legis sit Christus ad iustitiam omni credenti. Memorabilis extat locus Deut. 18: 15. seqq. allegatus Act. 3: 22. c. 7: 37. Cum populus superbè respondisset: Omnia quæcumq; præceperit Dominus, faciemus (sicut, teste August. Pelagiani olim ! Non debet qui faciat, sed debet qui imperat) & Deus retorsisset eam præsumptionem manifestatione peccati & iræ suæ, quam operata est vox legis, ibi clamabat populus non se posse vocem illam ferre, alium igitur Prophetam potentibus respondit Moses nomine Dei: Prophetam de medio tui & de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies. Ubi Deus perspicuā repetitione illustrat promissionem de Christo; quippe quod Deus pater in monte sancto & transfiguratione Salvatoris nostri clamat Matth. 17: 5. Hunc audite.

§. II. Deinde varia orthodoxæ de Messia fidei exempla recenset Apostolus allegato loco Hebr. 11. ex libris Josua & Iudicium petita. Præterquam quod Josua ipse, nomine officioq; fuit typus Christi Heb. 4: 8, Simson haud dissimiliter Jud. 13: 5. Vocaretur enim Jesus, Nazareus, Matth. 2. v. ultimo.

§. 12. Quia verò vindicias ἀρωτ-Evangelicæ veritatis sancti Dei homines licet pauci non intermiserint: ψευδοδιδασκαλία etiam ante Prophetarum tempora multum invaluit, unde obscuratam haud parum fuisse doctrinam de beneficiis Messiae non est dubium; hinc variis certaminibus ista ætas quoq; obnoxia fuit.

§. 13. Adhæc, quia potissima salvificæ doctrinæ pars sit cognitio Messiae & Justitiae Evangelicæ, ut patet 1. Cor. 1: 30. Joh. 17: 3. Esa. 53. 11. Ideoq; repurgatio religionis meliori pacto principio quidem fieri non potuit, nisi monstrato vero intellectu & usu legis. Permisit igitur Dominus Deus noster Mosis tempore, ut exacto & extremo conatu, periculum facerent, an & quomodo ingrediente se in Judicium, possent in conspectu ejus propriâ sanctitate consistere: Sanctificarunt se enim & præpararunt per triduum, i. e. festi sunt justitiam legis Rom. 9: 31. Et cap. 10: 2. Habuerunt zelum DEI. Sed veniente lege Exod. 20. cumq; strenuo suo officio operante agnitionem peccati ob Deum offensum Rom. 3: 20. cap. 15. Concidit & dilapsa est tota illa arrogans persuasio. Retrocedunt ergò pavesi agnoscentes sibi Mediatore opus esse. Populus petit ut Moses sit μεσίτης Exod. 20: 19. sed Apostolus Heb. 12: 21. dicit Mosen alias sanctissimum, non potuisse id officium Mediatoris sustinere: fuit enim & ipse sicut coeteri, ἐν φοβῷ καὶ ἐν τρόμῳ.

§. 14. Atq; ita subactis & præparatis per concionem legis, animis populi, repetit Deus promissionem de alio Prophetā, qui doctrinam aliam videlicet Evangelij doceret: Moses enim quamvis inspersit promissiones jucundas non raro de Messia, ordinariè tamen erat Minister legis & V. T. Mediator. Ideoq; Paulus disputat 2. Cor. 3: 14. Velum faciei Mosis significasse umbram legis, Evangelicæ doctrinæ sèpè molestam, quam tamen lex intendebat Rom. 10: 4.

§. 15. Luctatus est ergò Moses cum seipso, ac ceu fortis Christi miles & athleta eluctatus viam veræ Justitiae docuit, januamq; domus cœlestis subinde aperuit. Talia fuerunt Religionis Certamina usq; ad Prophetas. Quam masculè autem interea, idololatricis cultibus, falsæ religioni consiliisq; Syncretisticis sit restitutum & contradicturn à Mosis successoribus & Samuele, indicat Syrach c. 46: 13. seqq; adeò ut propterea ossa eorum,

740 DE SYNCRETISMO ISRAELITICO-SIDONIO.
rum, adhuc pullulent & virtant ubi sepulta fuere, sitq; memoria
illorum in benedictione.

§. 16. Seqvuntur hujus speciei nobiliores Actus, usitato Sty-
lo delineandi.

I. Exaggeratio seu Αὔξησις. Una Religio Syncreti-
stica plus Idololatriæ admistihabet, quam alia: e. gr. Achab
allegato loco scribitur plus irritasse Dominum Deum, quām
omnes Reges Israëlis, qui ante eum fuerant. Sic hodiè dum
à Syncretistis Symbolum Apostolicum statuitur & venditatur pro
adæquatâ Normâ dignoscendi Hæreticum à Catholico, in so-
cietatem fraternitatis mysticæ cooptantur, non solum Pontificij
& Calviniani; sed & Ariani, Anabaptista, Schwenkfeldiani & alii
crassissimi hæretici damnati in confessione Augustana & li-
bellis Symbolicis.

II. Diminutio seu Μέίωσις. Quā in hoc confusa religio-
nis negotio nondescenditur ad extreum Idololatriæ ac im-
pietatis gradum. Huc pertinent quæ dicta sunt de Religione
Salomonis. Nec non quæ Cit. cap. allegantur de Reformatio-
ne Idololatriæ Achabice à Jehu institutâ; hic enim quamvis
non recessit ab Idololatriâ Jeroboami, in respectu tamen ad
Achabum, probus aestimatur & à Domino seculari successu be-
nedicitur, 2. Reg. 10: 30. 31. Dixit ergo Dominus ad Iehu quando-
quidem studio quodam rectum fecisti in oculis meis, & juxta omnia que
fuerint in corde meo fecisti domui Achab, sedebunt tibi filii super so-
lum Israëlis in quartam uig. generationem. Ceterum Iehu non obser-
vavit, ut ambularet in Lege Domini Dei Israëlis toto Corde suo, nec
recessit à peccatis Jeroboam, qui peccare fecerat Israël. Ad hanc
classem referri possunt hodiè, qui non quidem ullum foedus
ineundum suadent cum manifestis hæreticis; Pontificios tamen
Calvinianos imprimisq; Arminianos aut catalogo hæreticorum
eximunt, aut eorum alias errores satis venenatos, extenuant,
vel etiam in nonnullis si non multis excusant.

III. Claudiatio. Quām Elias Propheta exprobrat populo circa cultum Baaliticum, tempore Achabi i. Regum 18:21. Accedens autem Elias ad omnem populum Israël dicens: Usq; quō claudicati in duas partes? Si dominus est Deus sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum; & non respondit ei populus verbum. Sic hodiē non nulli in cultu Dei & religione, aut Neutrales sunt, aut Medij & in utrumq; latus fluctuantes, volunq; videri in hoc passu admodum CAUTI & prudentes. Vide sis Libellum de Neutrilibus & Media, Dn. Joannis Wigandi, Concaion. Mansfeld. A: gr. 1552. impressum, de quo plura circa Disp. hujus finem.

IV. Amor voluptatum. Quemadmodum enim Rex Salomon dilexit peregrinas mulieres easq; Idololatricas, in quarum gratiam templa erexit, Idolo Chamos & Moloch i. Reg. II. quapropter præda hosti factus & regnum ejus divisum est i. Reg. 14. 30. &c. Sic hodiē multi parasiti inveniuntur, qui, nisi favore eorum quōrum bellariis saturantur indies, fuissent fascinati, longè aliter magisq; sobriè de veritate Lutheranæ Religionis judicarent.

V. Obduratio. Quæ in hoc conspicua satis esse judicatur, cum Achab a. Ædificavit Baali templum, β. In eoq; aram erexit. γ. Obtulit ei holocausta. δ. Adoravit illum. Sic illud poëtae recurrit: *Facilis descensus averni. Sic Adamus Neusevus olim Prof. Heidelbergensis Legatus ad Saracenos, ex Calviniano factus Arianus & deniq; Muhamedanus renunciari sociis prioribus jussit: Qui vult fugere Arianismus, fugiat Calvinismum.* Conc. Hist. Eccl. Osiand. Micræl. aliorumq;.

VI. Delicata Sedes. Sicut enim Achab Lucum plantavit in Samaria, quem Diis suis consecravit atq; in ejus amœnitate quotodiè oblectatus est: Ita hodiē per religiosa foedera cum manifestis hareticis, querunt pacem secularem, jucundam

VII. Spiritualis Cœcitas. Dicitur namq; Achab offendisse Deum Istraël supra omnes Reges Istraël qui fuere ante se; quô enim avidius studemus placere hominibus, eò longius removemur à Domino Deo nostro: huc Apostolus alludit: Gal. i: 10. Si hominibus placuisset, Christi servus non essem. Videant igitur intempestivi pacificatores discrepantium Religionum cum verâ, ne tranquillitatem mundanam præferrant cœlestibus atq; æternis Halcijonijs.

§. 17. Ad complendas pagellas, transcribo ex Libello Wsgandi de Neutralibus & Mediis verba seqq. Fuerunt semper multi contemptores vel subsannatores religionum, præcipue verò ejus quæ à Deo ipso tradita atq; instituta est, & scoli quoq; non pauci, qui ad voluntates potentiorum, velut delicatores cocis ad palatum suorum dominorum, se accommodarent, & arte conciliaciones quererent, quibus videbant schismatum incommoda, aliquot diversis religionibus concinnatis, tollerent, præsentium rerum statum & tranquillitatem melius & commodius, ut ipsi opinati sunt, tuerentur. Ex hoc fonte Alcoranus ille Turcic⁹ haud dubiè promanavit & multa alia metamorphoses & confusiones horribiles religionum emerserunt, quarum radices fortasse, donec hic mundus durabit, extirpari funditus non poterunt. Non igitur mirum, si jam quoq; in hoc postremo mundi delirio illæ, pestes severissima græssi pergunter (inceperunt enim jam diu) & magis quoq; ingruunt ac dominantur, præsertim cum etiam à Christo prædictum sit, postremam mundi senectam fore omnium impietatum colluviem, adeò ut ferè in dubio futurum sit, an filius Dei ad judicium ex suâ arcana sede aliquando procedens, fidem in terris sit reperturus. Tanta autem Caligines propemodum nos oppræsserunt omnes, ut in illis tantis malis cœciemus, nec valde ab eis abhorreamus, immo ferè sponte nos illis implicemus. Et igitur hujus postremi temporis non minima pœna, que regiones

regiones omnes Epicureismus tam longe lateque occupat, talis inquam Epicureismus, quod illud praeclarum Evangelij Dei jubar, quod hisce ultimis seculis mundi ex ingenti Dei misericordia illuxit, et beneficio Dei fulget adhuc, fastiditur, et tantum non pedibus a plerisque concutatur, imo quod indignus et nocentius est, homines non tantum rem admodum Leverem, verum etiam singularē sapientiam existimant artificiose religionem simulare et dissimilare posse, et ita se in externis rebus omnibus gerere, tanquam utriusque partis coniunctus non prorsus alienus a pontificiis, ne videaris contumax nec omnino separatus ab Evangelieis, ne apostata dicaris, et ea ratione quasi medium atque tutissimam viam incedere, utramque partem aequaliter retinere, pacem, facultates, honores, dignitatem tueri, denique religionem, cui vel istamen addictus videri, non prorsus nec turpiter deserere. Ea inquam res non est minima pestis, quam Diabolus in hac mundi sentina, fascinatis hominibus inspirat. Nam hoc pacto mentes hominum paulatim magis magisque languefiunt, veritas occultatur ac vim patitur, jacet Confessio, sunt pauci martyres, Christus denique totus sepelitur. Estque hoc malum valde blandum ac speciosum, sed hominum opinione perniciosius, Lenam omnium malorum, velut sub turgidissimo ventre fovens, et re vera Pandora puxis.

Quod cum ita sit, et latius de die in diem istud malum velut Cancer serpat sequeque propaget, et plurimos omnium statuum homines pestilensissimo contagio suo inficiat, profecto summa necessitas exigebat, ut hi quos speculatores in suam turrim ordinasset Deus, non sterterent, tanquam nulla uspiam insidia struerentur, non obmutescerent, aut nihil quam, pacem sonarent, sed quia praesentissimum periculum animarum ob oculos est, attenti essent, et fideliter privatim et publicè obviam his tantis malis irent, ad simplicem veritatis Confessionem monerent atque hortarentur omnes, cetera Deo commendarent. Ei enim curae fuisse, quos modo Ecclesiam et sua membra, ruentibus mundi imperiis Conservare, et per rubri maris undantes fluctus traducere velit. Unumquemque enim

enim mandata divino teneri & cogi, ut veritatis se adjungat, eamque
confitentur, si opus sit, etiam cum discrimine vita. Ersi autem meo pe-
de mittas, & intelligam quam ad hanc controversiam, presertim tam
late patentem trattandam, non sim idoneus satis, tamen quibus-
dam causis adductus, in praesentia aliquas saltem partes de hac mate-
ria perstringere constitui, ut paucis veluti puncto demonstrem, non libe-
rum, aut omnino parvi momenti rem esse, Epicureum esse vel in Reli-
gionibus ludere & veritatem Evangelij ad sua commoda private pro
arbitrio inflectere. Spero autem ipsi Deo istam puerilem blasphemam lin-
guam, gratam futuram esse, que de ipsis gloria & celebratione balbu-
tit. Et licet in hoc seculo exulceratissimo non cunctis probetur, parum
referat. Paulus inquit, si quererem hominibus placere, Christi servus
non esset.

Dicam autem modo breviter de duabus questionibus, utrum liceat
alicui neutralem esse, deinde utrum medium liceat esse. His bre-
viter expeditis, & quasi materia cogitandi tantum adumbrata, posse a
unicuique totam rem accuratius & attentius meditandam & discuti-
endam relinquemus.

Refert igitur scire, priusquam ad negotium accingamur, nos in pre-
sentia non de aliquo cœtu palam blasphemo, ut pote de Turcis, aut Ju-
daïs, aut similibus Idololatricis gentibus differere, sed de iis potissi-
mum, qui sunt in populo Dei, hoc est in Ecclesia, nec sunt omnino Æbos,
quantum sibi persuadent, aliosque de se sentire volunt, quique non sunt in-
fimæ plebis homines, non simplices idiotæ, verum qui ceteris hominibus
multis naturæ & animi donis antecellunt, nec reprehendi aut damna-
ri volunt, sed laudem singularis ingenij & modestiae studio se captant.
Sunt igitur neutrales, qui in dissensionibus dogmatum quando vide-
licet due doctrinæ ita dissident, ut acres inter summos homines de iis
concertationes sint, nulli aperte assentientur, sed manent in medio, vel
contemnentes utrasque partes sibi quisque ex suopre ingenio peculiares opinio-
nes quasdam singentes, quas amant & magnificiunt, vel determina-
tionem dogmatum in generali aliquo consilio expectantes, ubi videli-
cet hi, qui in fastigio Ecclesiæ sedent, & totus denique mundus veritatem
agnoscat & amplectatur, breviter ubi tali modo omnibus hominibus
proponatur, ut nemo refragari ausit.

Ad

R E S P O N D E N T E M ,

Eruditione ac Conversatione honestâ
pereximum.

Dn. PETRUM Hahn/ Smolandum;
amicum, commilitonem & patriotam per dilectum:

Cum turdis *Merula* ad sepem confugerat: *illos*
Arte recurrentes implicuere plagæ:

Ista sed expansum sublimis in aëra fertur,
Nexilis & laquei præterit una dolos,
Hahn/ eadēm Merula es, turdorum erepta catervæ,
Psallito Claudorum, gratulor ecce! vagæ.

L. Mg.
P R A E S E S .

Ad

Juvenem literis & humanitate præstantissimum,
Dn. PETRUM Hahn/ Wexioniâ Smolandum,
amicum per dilectum,

Erwiyçayma.

*G*rossica *fraus* prisco fætis exercita seculo
Atq; dolus, Cressæ nomina fecit humo,
Inde notas ipfis mendacia Cretibus addunt,
Natag; de proavis fama maligna vigeat.
Post adjuncta eadem reliquis cognomina rebus,
Si *fraus* mendaci versat iniqua dolo.

At magis infamem falsa hæc Gortynia vocem,
Commentis sacræ relligionis, habent.

Namq; ut Lernæā ferro cervice resefta,
Post caput exoritur jugiter inde novum:

Ista novos divis cultus, pariterq; Deorum,
Cætus induxit, fabula mixta dolis.

Qualiter Alcides Stygia caput abscidit Hydra,
Sponterenasceni mox in agôna novum;

Sic

Sic Syncretismos , serie redenunte novatos ,

Viderat excisos egris ordo sacer.

Quo plus mirandum est , his non pavitare peritlis ,

H A H N I E , cum tantis sicubi congrederis .

Sed bene res cessit , quamvis junta caterva

Syncretistarum sit , tamen esse stygis .

L Mq; deproperavit

P E T R U S L A U R B E C C H I U S

Poësios P. Ordin.

Salve , O Musis Gratijsg; Charissime PETRE Hahn !

R idetur & pro deliro habetur Nero , qui sericis purpureisq; funiculis , & hamis aureis pisciculos venabatur . Ridetur Caligula qui cum instructissimo exercitu ad Oceanum , tanquam ad expeditionem seriam , profectus , in litore substitit , vasis fluctibus , militemq; conchylia legere jussit . Imprudens uterq; : neutri enim sui pretium erat impendij . Sic & iratā venantur Delia , quotquot arcem sapientiæ concendere laborant , aut omni prorsus , aut meliore destituti adjumento . Videlicet cum navis gravatam adversa propellit undā ratem , cedit in vanum labor , auferturq; Puppis prono victa vado ; Sic & qui levo Apolline Sacra musarum amplectitur , inutili plerumq; conatu desudat . Noscenda ergo est , ut monet , quisquis fuit , Satyricus iste , mensura sui . Neq; enim Pumilio , quamvis velit , Herculem agere potest , nec Irus Cræsum , nec Achillem Thersites . Ipsi proinde nos naturæ nostræ metiamur regulâ , neq; id conemur sequi , quod non valeamus assequi . Tua hæc laus est , & erit olim , mihi credere , ô Charitum Amor , grande decus , primitias ætatis sacris tradidisse Pierijs . Ipse cum natura Tuā jam pridem ivisti in consilium hoc de tām religioso negotio : Sic decuit , sic oportuit . Vide modò , ne quandò fastidium , invidia , aut quæcunq; tandem mali vis proposito tām pio litarum inducat . Animum obfirmare Te jubeo , neq; id frustra ; Scio enim quā multa incurvant , transversum eundem actura . Quæ nihil præter umbram dant , arbores , nec solo , quod occupant , nec humore , quo nutriuntur , dignæ sunt ; Tu igitur id age , quin & sponte scio Te hoc acturum , ut & gratiā illā , quā Te nunc Musæ nostræ excipiunt , & pariter auctiore gloriā , quam olim Tibi dabunt , sis & evadas porrò dignissimus . Sic nec Musarum desideria , nec Tuorum spes , nec mea eluseris præfigia . Vale !

JOHANNES COLLIANDER

Wex. Reg. Alumn.